

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Müller Ludovicus Gerhardi

Spicilegium Passionale

Rostochii: Kilius, 1662

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740033689>


Druck Freier  Zugang



R u Med 1662.

Reinrich Miller

Krit.: Ludwig Gerhardi



כשש
8.59
**SPICILE-
GIUM PASSIO-
NALE**

Quod
BENEDICENTE DEO
piè-eruditorum Examini subjiciunt
PRÆSES

HENRICUS Düsler/ Theol. D.

Prof. Ordin. & ad Div. Mariæ
Archidiaconus

RESPONDENS

LUDOVICUS GERHARDI,

Glukstadiensis.

*In Auditorio Majori d. XXIX Martii,
Anni M. DC. LXII.*



Universitäts-
Bibliothek
Rostock

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typor. g

VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Consultissimis,
Amplissimis*

DN. HERMANNO à DORN,
inclytæ Reipubl. Lubecensis Consuli primario,
gravissimo & eminentissimo

DN. NICOLAO Schüzen U. J. D.
excellentissimo, Professori olim in almâ ad Varnum
Academiâ laudatissimo, jam verò Reverendi capitulî
Lubecensis Syndico longè meritissimo.

DN. HENRICO BERNHARDO
à MUNSTER J. U. D. celeberrimo, Practico
felicissimo.

UTI ET

VIRO Integerrimo spectateq; Prudentia
DN. CONRADO à DORN,
Civi ac negotiatori inter Lubecenses
Primario.

Dominis Patronis, Cognatis ac Promotoribus
perenni honoris & amoris cultu suspiciendis
& plurimum devenerandis

*Hocce quale quale exercitium Academicum cù
debitæ observantia Characterem offert,
dicat & consecrat.*

RESPONDENS.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I.

Theologia est habitus practicus.

II.

Malum formaliter & abstractive non est ens positivum, materialiter tamen & concretive connotat aliquid positivum.

III.

Angelis loquela certe respectu competere negare quis ausil?

IV.

Qui vocem Εμίσοι Matth. VI, 11. ex propositione Ιων & εἰα componunt Viri doctissimi Beza & Camerarius, & falluntur & fallunt.

V.

Carmen de Phœnix quod vulgo Lactantio adscribitur, non esse Lactantii, sed potius hominis gentilis, non sine ratione quidam affirmat.

VI.

Frustra contendit Cl. Salmasius in suis ad Epictetum dissertationibus vocem ιδιαι non sumi pro etate temporis.

VII.

κέλη pro maris littore ponitur Hebr. XI, 12. per purum Hellenismum.

Ad Praestantissimum

DN. GERHARDI

Σύνοντες dilectum.

GERHARDI multum scriptis Ecclesia debet
Omen non desit tantum Tibi Nomen habentis

HENRICUS Müller, D.
Salutem multam appre. ser.

Non

Non ita cum pridem fieres mihi notus, amice,
Mox tangebatur pectus amore tui.
Scilicet ex facie probitatis signa micabant,
Dona nec ingenii dissimulabat ea
Hand tua decepit me frons: sed postea abunde
Prodidit ingenium se probitasq; tua
Nunc, mage quo pateat tua virtus, scande cathedram.
Fiet id (en dextram!) non sine laude tua.

Præstantiss. Dn. Resp. amico & sym-
patriotæ per quam dilecto,
scr. gratulab.

CHRIStIANUS Kortholt
S. Theol. Doctorandus.

לְרֹחֶן וּבָרוּ בְּפִוּרִי פַעֲשֵׂיךְ
וְתַי בְּפָלָא שֶׁר אַפְרֵה עַשְׂרֵה אַפְרֵה:

Amico dilecto cum benedictione
Redemptoris Mundi am-
plissimâ, grat.

M. Daniel Parschitius, Pannonius.

Passio, quam Christus pro nobis morte peregit
De qua differeres, commoda visa fuit.
Macte istis studiis, adsit pede Iova secundo,
Et veniat coepitis molliora aura tuis.

Paucis bisce amico suo pl. colendo pro-
spera quæq; vovere gratulabun-
dus voluit debuit

Johannes Lillius, Holsatus.

—(10)—

(I.)
SPICILEGIUM PASSIONALE

Ne in Dispp. Passionalibus ante annum habitis
hiatus quispiam notabilis appareret, sequen-
tia addere placuit.

I.
SOLAMEN ANGELICUM.

Rrare haud facile dixerim eos, qui existimant,
E Angelum confortantem agonizantem Salva-
torem, verbis ullis usum haut fuisse, sed assi-
stentia partim & societate consolandi explevisse par-
tes; partim consideratione & ponderatione eorum,
quibus Christi anima mœroribus angebatur; partim
habitu gestuq; simili assumto, ut Domino flectente ge-
nua & ipse flecteret, cum humili prostrato se quoque
prosterneret. Amici Jobi, visâ hominis miseria, se-
debant cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, & ne-
molo quebatur ei verbum, Videbant enim dolorem esse vehe-
mentem. Job II, 13. Nimirum & ipsis præ mōrore defi-
ciebant verba, & amico simul afflictissimo se eo modo
attemperabant. Certe iis, qui sunt in ægritudine,
nulla principio aptior est Medicina, quam quies & si-
lentium. Si Medicus, inquit Ambrosius, medendi tem-
pus exspectat, quanto magis explorare nos convenit, ut optime
anobis medicinalis sermo procedat; qui non accendere luctum,
sed lenire videatur. Vis urget doloris: premitur cor emulieris
afflictæ, quæ immaturo obitu maritum amisit, aut filium, quid
properas, cum te illa non audiat, nisi defervescat dolor? Sæpe
lites de consolationibus vidimus excitatas; venisti ut doleas,

A

non

in Psalm.
XXXVII.

non ut litiges. Huc facit in Capitulis Patrum quæ traditur sententia; *Ne places socium tuum, cum irascitur,* וְאֵל הַנִּמְפֹן בְּשָׁעָת שְׁבָחוֹ nec consoleris eum, cum stupet. Constatbat olim consolatio apud Hebræos primò communicatione doloris & consociatione lacrymarum. Hinc solatia præbituri ad lugendum accèdere & cum aliis tristari dicuntur. Job. XXX, 25. Ps. LXIX, 21. Natura siquidem ita comparatum est, ut non possit quis alieno dolori frenum injicere, nisi ipse ejus quoddam habeat experimentum in seipso; nec feliciter alienas lacrymas abstergere, ni prius suas adjunxerit. Sat solatii subinde præstabat muta quædam mœstitia & sola cum dolentibus commoratio. Petro exprobrat Dominus, quod in tanto suo mœrore saltem secum in partem solatii non vigilaret. Matth. XXVI, 40. Lacrymas demum & silentium insequebatur blandum alloquium, quod scriptores sacri vocant locutionem ad cor, quia cor mœrore veluti occlusū referare & refocillare aptū erat. Consolatorem Angelum præter silentium & doloris commercium Verba adhibuisse in confortando Salvatore, haut sit verosimile, quia par dolori consolatio verbis applicari nulla potuit, disertissimo in primis ab infantissimo, fortissimo ab imbecillimo. Præterea Verbum ἐνσχύει significationem habet non tam verbalis consolationis, quam interioris conformatio nis, qua quis vires ipse suas recolligit.

II. PRODITOR AMICUS.

Accedit instar venenata vespæ Judas, ex rosea illa.

illa Christi facie, porrecto osculo, toxica atrocissime apparaturus, unde justorum quisquis nectarea pocula combiberet svavissimè. Tunc ad illum Salvator; Erāgē, ἐφ' ὃ μῆρα. Quod non averteret vultum, mansuetudinis fuit & pietatis; noluit evitare signum, unde notus ligaretur ad necem, ne crucis evitandæ cupidus arguatur. Sed cur ἐταῖχον dixit? amicus ille appellatur, qui plusquam novocalia odia exerceat? itane punitur culpa, ita detestabile scelus improperatur? Sunt qui insultatorium habent Domini sermonem. At quis, insultationi in tanto mœrore locus? Quæ insultatio in proditorem osculo exceptum, & ad peccati agnitionem deducendum? Quis mitissimum, instar Agni, Mundi Salvatorem Sarcasmis & illusionibus usum in illo rerum discrimine crediderit? Rectius, meo iudicio, sentiunt, qui per ἐταῖχον intelligunt *socium & sôdam*. Nectamen temerè rejiciendi Arabs, Æthiops, Persa, Vetus, Erasmus, Beza, qui vertunt, ô *Amice*, ut & Lutherus, *Mein Freund*. Qui socii, utut non semper, plerumq; tamen sunt amici. Niimirum, titulus hicce honorificus illi communicatur, qui ab altissimo amicitiae divinæ gradu jam exciderat, ut eum penitus pungat. Habebat quidem Christus amicos discipulos suos. At nunquam legis horum singulariter aliquem hoc titulo appellasse, cum tamen ad impium calumniatorem sub Patrifamil. habitu diceret; Erāgē, non facio tibi injuriam. Matth. XX, 13. sicut ad illum, qui sorde scens regales nuptias profanarat; Εταῖχε quomodo buc intraisti? Matth. XXII, 12. ut dum nocentes & odio habiti eo tituli splendore afficiuntur, quo etiam in summa felicitate vix unquam singulariter afficerentur,

tur, gravissimo improperio torqueantur. Interim non de nihilo est, quod notat Origenes, nomine *etiam ne minem bonum in Scripturis legi appellatum.* Nam præter Matth. XI, 16. semper usurpatur in illos, qui reprehendendi, & ad agnitionem malefacti deducendi erant.

III.

LEGIONES ANGELICÆ

Quātus fuerit Petri Zelus, multis scripturæ locis dilucet. Igitur servo manum injicienti Domino, medium diffidere caput cogitabat. At DEUS sita direxit ictum, utin nonnisi dextram amputaret oricillam, fortassis ne sic quidem, ut ea deciceret humi, sed ut de aure dependerer. Quod Christum male habuit. Qui non contentus sanasse vulnus, Petrum objurgat atq; officii commonet sui, ostendo insuper, nec tali sibi defensione opus esse, ut qui vel XII. Angelorum legiones possit impetrare à Patre; ἡ δυνατις, ὅτι εἰ δύναμαι ἄρτι τοῦ θεοῦ λέσσαι τὸν πατέρα με, νὴ τοῦ θεοῦ σει μοι τὰλέσσαι ἡ δύνασθαι ταῦγχελων. An putas, me nō posse nūnc precari Patrē meum, qui assistere faciat mibi plures quam XII. legiones Angelorum? Matth. XXVI, 53. Ita fere Syrus & Aethiops. Arabs, (juxta vers. Anglic.) habet, duodecim turmas, Persa, duodecim myriadas de legionibus Angelorum. Alludit Salvator ad militiam Romanam, in quā XII. legiones justum constituebant exercitum. Cincius in commentariis de re militari hæc de legionibus retulit; In Legione sunt Centuriæ LX, Manipuli XXX, Cohortes X. Quod & Gellius in Atticis probat. Legio ergo continebit sex millia militum. Nam centuria centum, manipulus ducentos, cohors sexcentos complectebatur.

tur. Lipsius, *Ex decem*, inquit, *cobortibus sit Legio*, sic dicitur quod leguntur milites in delectu. *Institutum à Romulo habuminus 3000.* Regibus ejectis fuit 4000. *Bello Annibalis ad 5000.* ventum est: à Scipione deniq*s in Africam trijecturo facta est 6000.* Vegetius dicit, Romanos Legiones habere, in quibus singulis sena millia, interdum amplius militare conservaverunt. Certe C. Marius, authore Festo, sex millium & ducentorum legionem instituit. Vulgo ex Hesychio legionem aestimant 6666. Suidas tamen εξακοσιάδις tantum ponit. Secundum quem XII. legiones Angelorum forent 72000 Angeli. Atqui Angelus unicus in exercitu Senacheribi occidere potuit CLXXXV. militum millia. Quid igitur ad hæc una Romanorum militum cohors?

IV.

PILATUS PROCURATOR.

Placuit Judæis, ut sententiam damnatoriam in Salvatorem dictam exsequerentur, eum vincitum mittere ad Pontium Pilatum, Judææ tum temporis ἡμέρα. Nequaquam suspicione caret, quod Pontium Pilatum Syriæ legatum fuisse scribit Lactantius. Fuisse eum tantum Judææ procuratorem, diserte testatur Tacitus, *Autor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Qui Pilatum Præsidem incuriosè nimis vocitant Autores, deceptividetur voce ἡμέρα, quæ, apud Josephum in primis, modò provinciæ Præsidem, modo Legatos & Cæsaris Procuratores designat. Antonius Gabinii Legatus dicitur ἡμέρα, Præsides Syriæ passim eidem ea appellatione denotantur. Certum est sub

A 3

Silano

*lib. IV. de
ver. sapient.
lib. XV. Hist.*

(6.)

Silano Syriæ Præside Judæam à Pilato gubernatam. Nec enim peculiaris tunc erat provincia, sed ad Syriam pertinebat Judæa, quamvis belli tempore divisæ fuerint, sicuti Vespasiano Judæa, Muciano Syria parebat Vitelliano tumultu. De Silano adeo verum est, ut accusarint coram eo aliquando Pilatum Judæi, referente ex probatissimis Historicis Cl. Barthio. Procuratorem Judææ omnium rectissimè dixeris Pilatum. Fuisse tamen memineris Procuratorum duo genera. Alii Rationales dicebantur, qui solis vectigalibus colligendis vacabant; alii præterea provinciis minutioribus vice præsidis præerant cum aliqua potestate, & jurisdictionem aliquam, nullo præside præsente, inter provinciales sumebant. His postremis si Pilatum accenseas, vix errabis.

V.

TRIGINTA ARGENTEI.

- (a) lib. III.
Antiq. c. 9.
(b) in comment. ad c.
IV, Ezech.
(c) in vocab.
τίλα
(d) ad fin. Ex pos. Pentateu.
(e) lib. de Sacr. Mens. Trad. de sictio
(f) ad cap. VII Josue

Premium, quo Christum vendidit Judas, fuit triginta ἀργυρίων sc. νομισμάτων. Argenteus cum nummum significet Judaicum, idemq; sonet, quod *Kefeph*, ex Judæorum usu *Siclum* denotat. לְקָשׁ altera facie vasculum ostendit, quo Manna servabatur in sanctuario, cum hac perigraphe, וְשַׁרְאֵל לְקָשׁ; altera virgam Aaronis afflorescentem, cum inscriptione, יְרוּשָׁלַיִם הַקָּדֵשׁ. Pondus sicli exquisite semuncia fuit, id est, drachmarum 4. ut Josephus (a) Hieronymus (b) Hesychius (c) prodiderunt, & alii viri docti, quos inter R. Mos. Gérundensis, (d) Arias Montanus, (e) Masius (f) experientia edocti sunt. Licet autem LXX Interpretes לְקָשׁ sæpe reddunt διδεκχυον, ut Gen. XXIII, 15, Exod. XXI, 32. Jof.

(7.)

Jos. VII, 21. non tamen cum respectu ad drachmam Atticam, sed Hebræam vel Alexandrinam illi sunt intelligendi. Etenim cum Interpretes ipsi Hebræi essent, & libros sacros Alexandriæ græce converterent, omnino credibile est, aut ad regionis suæ, aut ad Alexandriæ pondera eos respexisse. Drachma autem Hebræa etiamque Alexandrina Atticæ dupla fuit. Nam Talentum Alexandrinum 12000 drachmas Atticas continebat authore Varrone, (g) quantum etiam Hebræum fuit. Omne autem Talentū continere 6000. drachmas ejus loci proprias, cuius talentū esse dicitur, Pollux(h) & Svidas(i) prodiderunt. Proinde didrachmum pondere Hebræo vel Alexandrino detradrachmum fuit Attico. Eusebius(k) quod Matthæus habet τετράρια ἀργυρα, transscribit τετράρια σαῦπες. Stater (alias Tetradrachmum) in altera facie Minervæ caput (qua causa παιδίον & νέον sæpe appellatus est,) in altera noctuam ostendebat. Erat 4. drachmarum numerus, ut Epiphanius, (l) Hieronymus (m) Hesychius, (n) & alii autores sunt. Quin & duobus didrachmis censi Staterem manifestum est ex Matth. c. XVII, si quis versum 24 cum 27. conferat. Triginta ergo Argentei erunt XVIII, ad XX præter propter floreni. Tam vili pretio aestimatus cœli terræq; conditor. Quod mystice considerans Ambrosius, (o) scite ait; Tam vili auctione vult estimari Christus, ut ab omnibus ematur. Et, Paulinus; (p) Nos magno emit, non vendit. Nos ille vult pretiosos facere sui muneris vilitate. Ipse nobis hac pietate pretiosior, quod se vili vult estimari, ut ab omnibus ematur.

VI.

XENOTAPHIUM.

Certum est fuisse semper in omni bene instituta
Republ.

(g) lib. IV.

de ling. Lat.

(h) lib. IX.

Onomastic.

(i) in dictio-

ναλαντην.

(k) lib. IV.

demonstr.

Evang.

(l) libr. de

Ponderib.

(m) ad c. IV.

Ezech.

(n) in Voc.

scirps

(o) in Luc.

c. VII.

(p) Epist. IV.

ad severum.

Republ. loca quædam, quæ vel tenuiorum, vel peregrinorum, vel omnium quorumcunque, qui proprio solo destituebantur, sepulturæ paterent. Apud Mat-

c. XXVII, 7. thæū Sacerdotes ex pretio à Juda relato agrum emunt in sepulturam peregrinorum. Apud Romanos vero locis funeribus pauperum destinatis *puticulis* nomen,

lib. XIV. de erat: *Extra oppida*, inquit Varro, à Puteis *Puticulae*. Quod Ling. Lat.

ibi in puteis obruebantur homines, nisi potius, ut Aelius scribit Puticulae quod putrescebant ibi cadavera projecta; qui locus publicus ultra equilias. Distinctius Festus *Puticulos* tradit antiquissimum genus sepulturæ appellatos, quod ibi in puteis sepelirentur homines. Et subdit, talem fuisse locum, qualis erat suo tempore quo projici so-

lib. I. Ser. lebant cadavera extra portam exquelinam. Horatius;

Sat. 8.

Hic miserae plebi stabat commune sepulcrum,

Pantolabo scurræ, Nomentanoque Nepotiz

Mille pedes in fronte, trecentos eippus in agrum

Hic dabat, heredes monumentum ne sequerentur.

Loca non absimilia Aggenus Urbicus *Culinas* dicta restatur his verbis. *Sunt in suburbanis loca publica in opum destinata funeribus, quæ loca culinas appellant.* Habant etiam Pagani Xenotaphia, in quibus peregrinos sepeliebant, *Polyandria* dicta, quia essent omnibus communia, auctore Svida. Vetus lapis:

FORTISS. MIL. V. ET XIX LEG. QUORUM OPERA FORTITER VETERA CASTRA DEFENSA SUNT POLYANDRION.

VII.

PRÆTORIUM!

Mane ex ædibus Cajaphæ per urbem medium Sal-

vator

vator raptus est in Prætorium ad Pontium Pilatum. De Prætorio Lipsius; Dicebatur Tabernaculum quod duces exercituū, vel Imperatores, sive Consales, sive dictatores, sive Prætores, sive Tribuni militum consulari potestate ii essent, occupabant. Nomen autem inde habet, quod initio consules, qui plerumq; bella administrabant, Prætores dicerentur. Ita quæstorum erat Tabernaculum Quæstorum. Forma prætorii fuisse videtur rotunda, testudinea, id est, curvata in cameram rotundiorem. Hac causa fortasse Josephus cum templo componit, quod templo pleraq; talia: aut etiam quod eminebat in mediis castris, ut in Urbe aliqua templum. An & quia religio ibi & pars sacrorum? Certe in eo Augurale fuit, ubi sacrificare & auspicari Imperator solebat: nam ante illud ara fuit, in qua solemniter libamenta aliquai illata & cremata, quotidianæ religionis ergo: Auguratorium vocat Hyginus, qui & situm ejus parte dextra prætorii docet, ut tribunal lœva. Tota igitur area sive pedatura prætorii erat quaternum jugerum, sive potius versuum. Versum autem dicunt 100 pedes quoquo versus quadratum. Pedatura vero Latinis est, quod Græcis ποδισμὸς, et si podismi ipsa Græcanica voce crebro in hacre Vegetius usus. Ποδισμὸς autem dimensio, aut & dimensum ipsum perpedes, sicut σταδιασμὸς per stadia. Situs prætorii in medio non quidem castorum, sed aliorum dueum. Nam semper veteri & novo more in medio Tribunorū, aliorūq; ducū Prætoris locus. Profecto ut in acie Prætor sive Consul post Hastatos & Principes ante Triarios stabat, media fere acie & ad latera Tribuni: ita hic, nisi quod pro Triariis Ab-

(to.)

Iecti & Extraordinarii & Evocati substituti. Et hic situs magnæ rationis fuit. Primum non longe ab hoste, & ad Prætoriam portam, qua illum fere semper spectabat: nimirum ut observet, si quid ille moliatur aut moveat, & nuncios quoque & exploratores statim admittat: causa altera, ut duces omnes circum se habeat, quorum consilio, cum opus, statim utatur, item jubeat aliquid aut mandet: tertia, ut in conspectu habeat subjecta castra, & militem totum, videatq; si quid peccent, aut turbent. Ipse ille aspectus coercedbat milites, qui sciebant, semper sub oculis sui ducis versari; eoq; in omnibus magis composite se gerabant: deniq; causa etiam hic honor & dignitas, quod media omnia honestiora & tutiora. Cæterum ipsa vox ~~negitwes~~ non Græca, sed Romana est, Græcis literis scripta, & à Procuratoribus & præsidiariis Romanorum militibus, una cum aliis nominibus, Judæis in usum recepta. Certe ominosum est populis, quando voculæ exoticæ in communem loquendi usum introducuntur. Quod & Judæi experti sunt, qui postquam vocabulis Romanis uti cœperunt, tandem à Romanis oppressi sunt.

VIII.

INTERROGATIO JUDICIALIS.

Pilatus Christum ad se delatum interrogat; *Tunc es Rex Iudeorum?* Nimirum Judiciorum criminalium pars non minima erat rei interrogatio. Hujusmodi interrogationum exempla exstant in Historia Evangelica Joh. XVIII, Act. XXII & XXIII. Apud Livium insignis est illa, qua Q. Fabium Magistratum equitum, cum à prætore

prætore citatus, ex inferiore loco ad tribunal accessisset, Papirius Cursor dictator interrogat. De Augusto Suetonius; *Dixit jus non diligentia modo summa, sed & lenitate: siquidem manifesti parricidii reum, ne culleo insueretur, quod non nisi confessi assiuntur bac pana, ita fertur interrogasse;* CERTE PATREM TUUM NON OC-CIDISTI? Irenarchis mandatum fuisse, ut interrogations literis inclusas, atq; obsignatas ad cognitionem magistratus mitterent, docet Brisonius. Multum autem intererat in peragendis interrogationibus, quo animo esset is qui interrogabat. Exemplum illustre suprain Augusto, qui sua interrogatione tacite reo viam salutis aperuit. Contra, qui perditum reum, volebant, omnibus modis illum in fraudem suis interrogationibus inducere conabantur.

IX.

CHLAMYS COCCINEA.

Milites ad ludibrium Christum induunt *Chlamyde coccinea*, ut est apud Matthæum, c. XXVII, 28. sive *purpurea*, ut referunt Marcus & Johannes. *Chlamys* Græcorum in primis erat & maxime Macedonum. Inter puerilia recensetur ab Ulpiano. Chlamyde Numa primus Romanorum regum usus est, quem legationem Isaurorum excepisset, rationemq; eorum habitus perceperisset, autore Suidâ. Porro Chlamydis effigies & terra habitabilis eadem fuisse traditur. Strabo; *Ἐπ ὅπις l. II.*
χλαμυδοειδὲς σχῆμα τῆς ὄντεμένης.

Coccum granum est ex frutice terrestri. *Coccineum*, quod est illo liquore coloratum. Coccinati incedebant præ aliis Imperatores ac belli-duces. Plinius;

B 2

Coccum

lib. XXII,

c. 2.

Coccum Imperatoriis dicatum p[er] aud[itor]um mentis. Causa erat, ne si forte in bello crux vestibus adspiceretur, sive is ex ipsorum, sive alieno vulnere manaret, ipsis vel alii terrentur. Nec aliud fortasse spectarunt milites, qui Christo tam cruentem illuserunt, cum illum Chlamyde coccinea indutum produxerunt, nisi ut sanguis undequaq[ue] scaturiens in veste coccinea minus adverteretur; unde & illorum lusus feralis adeo non appareret, & alii ad Christi conspectum nullo misericordia sensu tangerentur.

Purpureus color est, qui nigricantis rosa splendore sublucet. Ceterorum omnium colorum gratissimus, & tingendis vestibus maxime expetitus, à purpura vocatus. *Purpura* autem pisces est ex concharum genere, vivit annis septenis, latet circa canis ortum tricens diebus. Congregatur verno tempore, mutuoq[ue] attritu lentorem quendam veluti ceræ emitit, sed nobilem illum succum ad tingendas vestes in mediis fauibus habet, minimum liquoris est in candida vena, reliquum corporis sterile est. Vivas conantur capere, quia florem illum morientes cum vita evomunt. Majoribus purpuris detracta concha auferunt succum, minores frangunt Tyrii, & ita eorum rorem excipiunt, qui à loco Tyrius dicitur, quanquam in aliis quoq[ue] locis id fiat, referente Perotto. *Puniceum* in purpura cernitur, præcipue Tyria ac rubente. *Puniceum* autem & *Phœnicium* colorem differre, ex Libanio ostendit Salmasius, atq[ue] eam ob causam Agelium reprehendit. Color enim *Puniceus* exuperantiam & splendorem ruboris ostendit, *Phœnicius* autem, qualis immaturæ palmulae.

Purpu-

ad Solinum

p. 1330.

Purpuram ἀρχῆς σύμβολον fuisse & insigne Imperatorum Romanorum à nemine ignoratur. Nam qui imperium sumebant, purpuram quoq; sumere solebant. Sed & purpuram sumere subinde idem erat, quod imperium sumere. De Balista Trebellius Pollio; Multi & sumisse illum purpuram, & more Romano imperasse (Salmasius legendum existimat; ut Romano more impetraret) exercitum duxisse, & de se plura promisisse dixerunt. Purpura indutum esse, galeatum ad conciones militiares procedere, exercitum ducere, de more sunt imperandi Romano. De Zenobia idem; Vixit regali pompa. more magis Persico adorata est: more regum Persarum convivata est. More Romano ad conciones galeata processit cum limbo purpureo. Color insuper purpureus quomodo infanti admotus spem faciebat regiae fortunæ. De Cludio Albino Julius Capitoninus; Accessit omen, quod cum pueri ejus familie russulis fasciolis illigarentur, quod forte lotæ atq; uide essent russulae fasciola, quas mater pregnans paraverat, purpurea matris illigatus est fascia: unde illi joco nutricis etiam Porphyrii nomen inditum est. Hoc atq; alia signa imperii futuri fuere. Quin etiam institutum postea est ab Imperatoribus Constantinopolitanis, ut Augustæ liberos non parerent nisi in περιφύγᾳ, quem morem ex Niceta Choniate (a) & Luitphrando (b) aperit Casaubonus. (c)Inde est, quod inter omnia imperii quibus scatent libri Historici, semper fere invenis purpureum aliquid. Est autem indumentum purpuræ insigne regiae dignitatis obrabicundum colorem, sanguinis imperium & necis inferendæ potestatem insinuantem. Quo sensu forte Horatius Tyrannos appellat Purpureos

(a)lib. V.
(b)lib. I, c. 1.
(c)in not. ad
Hist. August.

I. Od. 35.

B 3

Purpurei

(14.)

Purpurei metuunt Tyranni
Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam.

Et ob hanc majestatem haut dubie unicus salutis
nostræ instaurator Christus cum à profligatis militi-
bus Rex salutaretur, Deo sic disponente, purpurea ve-
ste indutus est.

X.

VESTIS SPLENDIDA.

Hær. X de
usu part.

de Pallio

Herodes Dominum candida veste induit jussit,
quam Lucas c. XXIII, v. 12. λαυπτὴν vocat. Syrus ver-
tit; *Vestibus coccineis*, interprete Tremellio & Anglicano.
Arabs & Persa; *Vestibus rubris* & ob ruborem mi-
cantibus. Æthyops; *Veste pura*. Vetus; *Veste alba*. Ααμ-
πτὴν propriæ est *luminosum*, τὸ δὲ ἐπιπέμψεων αὐγὴν Σπινθερον,
ut scribit Galenus. *Lumen* quidem in rigore non est
coloris nomen, sed affectus qui sequitur colores in-
tensiōes & καρανορεῖς. Autoritate tamen Cl. Salmasii
persuadeor fere ut credam, *lumen* subinde poni pro
colore. Tertullianus *concilium luminis* appellat, quod
alio loco *conciliamentum colorum* dixit. In purpura
sane color ipse *lumen* appellatur. Trebellius Pollio in-
ter dona Claudio à Gallieno missa recenset *Chlamydes*
veri luminis, hoc est, veri coloris. *Verus* color autem
est purpureus, & ita νάτη ἔξοχη Latini purpureum colo-
rem nominarunt. Græci quoq; ἀληθινὰ χρῶμα dixerū
pro purpureo, vel coccineo. Atq; inde etiā bolovere
vestes dictæ, quæ totæ ex illo vero colore essent, totæ
ex purpura. Puto huc respexisse inter prætes Syrum,
Arabem & Persam.

Vetus

Vetus ethi vix reprehendendus, quia λευκὸν & λαμπρὸν sāpē de eodem usurpantur, rectius tamen, mēo judicio, vertitur; Peste candida, quam veste alba. J. Lip- Elect. I. 1.
fius demonstrat, Rōmanis in vestitu placitum quoniam colorem albam, sive quia is, ut Plato vult, lātitia proprius & Dōrum; sive potius agrestis illa & prima gens, sp̄tis accessitis coloribus, lanæ nativum retinuit, id est, album. Sed petitores non contenti insito lanæ colore, cretam addebat in veste, ut candesceret, imò splendoreret. Ideo Polybius λαυπητὰ dice-
re maluit petitorum togam, quam λευκὴν, & Latine
commode eam dixerimus splendentem. Hac ergo nota petitores honorum à vulgo discreti, & nāt' ἐξοχὴν
dicti Cāndidati. Quam bene hāc quadrantin Can-
didatum mortis Celive, Mundi Salvatorem!

XI.

OBVELATIO VULTUS.

Facies Salvatoris sputis deturpata operitur à mi-
litibus. Refert Popmā, velassē se vēteres parte ve-
stis vel propter sacra, vel ob desperatum aliquod ma-
lum. Plautus,

*Invocat Deos immortales, ut sibi auxilium ferant
Manibus puris, capite operto.*

Amphit. V. 1.

Seneca;

*Namque ipsa tristis vestis obtentu caput
Velata, juxta pr̄esides adstat Deos.*

Herc. Fur.

V. 35.

Aben Ezra morem fuisse ait, ut cui Rex irasceretur,
Ejus statim vultum ministri obnuberent, quasi, qui re-
gem adspiceret, indignus foret. Reis in crucem agen-
dis operta capita docet Livius. Ap. Claudius metuens

vita,

- I. I., 26. vitæ, ex judicio capite velato in propinquam domum se recepit, apud eundem. Obnubebantur & novæ nuptæ flammeo: unde & nuptæ dicuntur. Ænea auctore certis hostiis litaturi capita velabant, ut est apud Plutarchum. Hebræi quoque in gravi luctu capita velabant. David, cum Absolonis arma fugeret, caput obnupsit II Sam. 15. Susanna quoq; ad Tribunal operata stetit. Plura hac dñe in Historia Passionali.

XII.

CORONA SPINEA.

CHRISTO ludibrii causa coronam imponunt spicinam milites: coronam ut Regi; spineam, ut miserabili Regi. Nemo est, qui coronatas victimas priscos Diis immolasse nesciat. Suidas; Εισέγεται ὁ Ἀθάρας εἰς την Φανωμένην, ὡσπερ ιερεῖον την Φαγιαδησόμενην, Virgilius;

Sæpe in honore Deûm medio stans hostia ad aram,
Lanca dum nivea circumdatur infusa vitta

- Aen. X. Servius; *infusa fascia sunt in modum diadematum, à quibus dependent vittæ ab utrag; parte.* Simulacra Deorū etiam coronari apud gentiles moris erat. Arnobius; Etiamne Dii fertis, coronis afficiuntur, & floribus? Clementē confer Alexandrinum. (a) Tertullianus, (b) Saturnum Pherecydem ante omnes refert coronatum, Jovem Diodorus post devictos Titanas, dat & Priapo ténias idem & Ariadna serum. Plinius (c) ait, antiquitus neminem, nisi Deos, (c) lib. XVI, coronis ornari solitum. Et alibi; (d) *Coronae Deorum bonos erant, & larium publicorum privatorumq; Arte-midorus; (e) Στεφανών γέτες ἀνθεσι καὶ πλάσιοι πᾶς πεσοῦνται καὶ κενομοσμένοις, ομψίαις αγαθοῖς πάσιν. Σον ἄρδυμένης φεύγειν* da
- lib. VII.
(a) lib. II.
παιδαγ.
c. 8.
(b) de Coron.
Mil. c. VII.
(c) lib. XVI.
c. 4.
(d) lib. XXI.
c. 2.
(e) lib. II, O-
- neiroc. c. 34.

(19.)

δειν ἀνθησούετον. Quid ergo miramur, coronari hic
Deum, Dei in carne nostra victimam?

At coronatur spinis. Veteres putarunt fuisse spinae
albas: quæ & inde salutares dicuntur & medicinis
utiles. Marcellus Empiricus; *Herba salutaris*, id est, c. XXIII.
spina alba, qua Christus coronatus est, quæ velut uam habet,
liuenem leniter in eodem loco perfribata sanabit. Sit fides
penes authorem. Certiora sunt, quæ assert Athana-
sius; Alia ratione spineam coronam gestare videri potest,
(Dominus) nimirum ut solitudines nostra vita extinparet. lib de Pas.
Injecit enim celestus ille, quanquam nolens, sollicitudines no- & Cruc.
stras super Dominum, non animadvertis futurum esse, ut Dom.
earum gestatione Dominus omnes in securitatem affereret,
quo & semen verbi de spinis depurgatum haberent.

XIII.

TRIBUNAL PILATI.

Pilatus, cum jam secum ipse statuisset con-
demnare Jesum, consedit pro tribunali in loco, qui
dicitur *Λιθοστρότος*, ut habet Johannes c. XIX, 13. Lithostrota
loca saxis discoloribus artificiose strata, ut hodieque
passim, apud veteres dicta fuisse, è Plinio scimus, qua
de re consulas Cl. Salmasium in Plinianis. De Julio lib. XXXVI.
Cæsare Svetonius; In expeditionibus tessellata & sectilia p. 2. c. 25.
vimenta circumfulisse multi prodiderunt. Sectilia, inquit
Salmasius, Latine vocat *τεσσελά*, & distinguit à
tessellatis. Lithostrota sectis parvulis marmorum cru-
stis structa erant ex diversi generis & coloris marmo-
ribus, non tinctis: Tessellata ex parvis tessellis, hoc est,
calculis quadratis in varios colores tinctis. Lithostro-
ta in pavimento ac solo mansere, tessellata ad cameras

C

trans-

translata, & musivi operis nomine appellata sunt. Syrus nō Αἰσχρός vertit per *pavimentum saxorum*; Arabs & Persa per *congeriem lapidum*, *aggerem lapideum*; Æthiops cum Vulgato vocem Græcam retinet, licet illa corruptam, *Lithostoros*. Et tralatitium est, loca tam publica & forensia, quam privata, à coloribus, columnis, aut signo aliquo laquearibus affixo, & id genus cœteris denominari. Idem locus Hebraice (seu proœvimore, Syriace) appellatus גָּבְּתָה, quod Guido Fabricius & Valent. Schindlerus vertunt, *locum editorem, lapidibus stratum*. Arabs & Æthyops vocem *Gabbatha* retinent. Syrus autem & Persa habent גַּפִּחָה, quod *peribolum* sive *clausuram* denotat. Fabricius; *Gaphiphta* significat *peribolum vel circumpavimentum*, quod à Vitruvio dicitur *Lorica*. De situ loci conjecturæ variæ. Suspiciatur Beza, (a) fuisse eundem, de quo Nehemias c. III, 7. ubi postea exstructa fuerat Antonia. Fidentius loquitur Adrichomius; (b) *Locus erat ante domum Pilati editus, & judicio accommodatus, ubi Romanæ Praesides sententiam ferre solebant, qui Græcs Lithostros.* Seldenus conjicit fuisse Conclave illud Saxeum, Ebr. (c) lib. II de Bell. Jud. c. 8. (d) lib. II, de (e) ad Matt. XXVII, 27. *לְשָׁכֶן הַקּוֹדֶשׁ* dictum, cuius pars altera in area sacra erat, altera in profana (c) Josephus, (d) Ο Πιλάτος, inquit, καρδίας Ιησού βίβλατος ἐν τῷ μεγάλῳ σαλίῳ. Josephi vestigia cum plurimis legit H. Grotius; (e) Non erat Tribune Pilati intra Prætorium, sed in stadio, quod erat non longe a prætorio. Nos in tanto sententiarum divortio rem perspicacioribus disquirendam relinquere malimus, quam certi quidquam statuere ipsi, in ultimam tamen priores sententiam, quam cœteras.

SENTENTIA DAMNATORIA.

Disquirunt Eruditi, An ipsius Pilati voce, an ve-
ro ipso solum permittente damnatus sit Salvator
mundi? Tertullianus (f) oblatum Pontio Pilato Do- (f Apolog.
minum Judæos violentia suffragiorum in crucem de- c. XXI.
di sibi extorsisse afferit. Lactantius omnino Pilatum
absolvit; (g) Tum Pontius & Judæorum clamoribus, & He- (g) lib. IV.
rodis tetrarchæ instigatione, metuentes ne regno pelleretur, vi... de ver. sap.
etus est. Nec tamen ipse sententiam protulit, sed tradidit eum c. 8.
Judæis, ut ipsi de illo secundum legem suam judicarent. Sed
næ! valde hallucinatur. Historia enim Evangelica
dicit, sedisse pro tribunali Pilatum, quod utiq; judicii
causa fecit. Et Lucas diserte ait, επίνευε c. XXIII. 24.
hoc est, interprete Arabe & Æthiope, *judicavit*; Syro
& Persa, *jussit*. Quo docemur, Pilatum expressa vo-
ce Christum condemnasse. Et sane eo omnes Judæo-
rum clamores tendebant, ut ipse eum damnaret
Pilatus. Titulum etiam ipse scripsit, sive scribi præ-
cepit. Per ipsius milites, non per Judæos, supplicium
de Salvatore sumtum. Ab ipso corpus postulatum,
non à Judæis. Huc pertinent illa Taciti; Auctor no- lib. xv.
minis ejus Christus, qui Tiberio imperante per procuratorem annal.
Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Ipse quoq; hujus
injustitiæ graves à Deo poenas luit. Nam, si Josepho
credimus, falsis Judæorum criminationibus apud Im- lib. XVIII.
peratorem circumventus, Viennam in exilium mis- Ans. Jud.
sus est. c. 7.

MOTIO CAPITIS.

lib. II, c. 3.

Salvatorem jam cruci affixum sannis & convitiis
excipiunt prætereuntes, ut qui capita quassant, dicen-
tes, *Vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus illud*
reædificas! *satva te ipsum, descendens de cruce: si fitius Dei es,*
descende de cruce Matth. XXVII, 39. Quod Physiognomi
dicunt, totum hominem in oculis esse, & totum ani-
mum in facie, non immerito de capite etiam dici po-
test, cuius versatio, variusq; motus internos animi
motus mirum in modum prodit. Certe Quintilia-
nus, de Pronuntiatione differens, *Præcipuum*, inquit,
in actione, sicut in corpore ipso, caput est: nam & dejecto, hu-
militas; & supino, arrogancia; & in latus inclinato, languor;
& præduro acrigente, barbaria quedam mentis ostenditur.
Ergo cum affectu quopiam movemur corde, commo-
vemur etiam capite: si vehementer aliquid placuisse
significare velimus, annuimus toto capite, aut in-
utramq; aurem clavis oculis, sublata facie molliter
versamus: renuimus versando caput, comprimendo
labia, contrahendo supercilia: admiramus agitando
& erigendo subinde caput, apertis oculis: subsanna-
mus, oculis, labiis, barba, & toto capite maligne agi-
tato: commiseremus & compatimur contorto capite
atq; demisso. Hoc in loco motio capitum contemtus
signum est, uti & II. Reg. XIX, 21. Job. XVI, 4. Ps. XXII,
3. XLIV, 15. CIX, 25. Jerem. XVIII, 16. Thren. II, 15. Qui
subsannandi hic usurpat vocabulum, admodum mihi
probantur. Nam inter alios irridendi modos quæ
Sanna propriè dicitur, gestu aliquo mimico exprimit
id, quod

id, quod vult objicere ei quem ridet. Tria earum genera noravit eleganter Persius,

O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinxit,

Satyr. I.

Nec manus auriculas imitata est mobilis albas;

Nec lingue, quantum sitiat civis Apula, tantè

Primum sanctorum genus est, manu ciconiam significare, scilicet digitos in modum rostrum ciconini cogere. Nam pinxere est avium, dum rostrum alicui rei crebro impingunt, ab antiquo, ut vult Lubinus, verbo pindo, id est, ferio. Secundum genus est, opposito temporibus pollice auriculas asininas effingere. Certe, notatione mobilis significat asininaures ex motu manus, hominis enim aures sunt immobiles. Deinde asininaures interius alba sunt. Tales ergo manus capiti applicatae movebantur instar asininarum aurium. Tertium genus est, linguam exsectare instar sifientis canis. Apulia regio est calidissima, unde sifculo sa dicitur Horatio. Quantum canis sifiens linguam extendit, tantæ etiam sunt ardelionum linguæ & irrisorum. Apud Hieronymum quoque hæc tria invenias sanctorum genera, qui ad Rusticum Monachum; Ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu aures agitari asini, aut asinantis canis protendi linguam. In Salvatore nostro omnia hæc impleta. De eo Lucas, quod fuerit naso quasi suspensus. Explanatio est c. XXIII, 35. quod est ciconiam pinxere, cum corrugatis naribus index digitus crebra motione in alium dirigitur. Quod Matthæus habet de motione capitum, ad auriculas asininas pertinet. Nam quia Asinus habet aures mobiles, homo autem immobiles, ideo irrisores loco aurium, caput movebant, & apposito temporibus pollice manu imitabantur auriculas asini, in eos, quos signifi-

(22)

ficabant esse asinos, s. stupidos & bardos. Quod in
Ps. XXII. de distensione labiorum conqueritur Do-
minus, ad exsertationem linguae non absurde refe-
ras. Motionem capitis iræ quoq; & horroris signum
fuisse, ex illo Maronis appetet,

I. VII. A.
neid.

Tum quassans caput, hec effudit pectore dicta;
O stirpem invisam &c.

XVI.

ULTIMUM DEPOSITUM.

Christus jam jam animam efflatus, eam depo-
nit in manus Patris suicelestis. Quiverbum οδογρα-
ματι vertunt deponam, meo judicio, haut errant. Depo-
situm vocatur, quod custodiendum alicui datum est,
dictum ex eo quod ponitur. Præpositio de auget po-
situm, ut ostendat, totum fidei ejus esse commissum,
quod ad custodiā rei pertinet. Unde depositarius is
est, apud quem aliquid deponitur. Deus certe depo-
sitarius optimus est & fidelissimus, qui novit reddere,
quod ipsi concreditum est. Simili modo semen deposit-
um dixit in Carmine de Resurrectione Laclantius (vel
alius incertus auctor.) Est figura, qua ea, quæ duriora
videntur, molliora fiunt, qua Themistocles Athenien-
sibus persuasit, ut urbem apud Deos deponerent, vel
ut Plutarchi verbis utar: Την πόλιν οδογράφεις τη Αἰγαίω
τῶν Αγνώστων μεδέσον. Vide Quintilianum.

I. IX. c. 2.

de Orat. I.
de fin. II.

Offic. III.

Nec tamen reprehensionem meretur ullam Vul-
gatus, qui vertit, Pater in manus tuas commendō spiri-
tum meum. Verbum enim commendandi extremo vite
tempore usitatum. Cicero; Filios suos parvos tutela po-
puli R. commendaret. Et alibi; Nam ista commendatio
puerorum memoria & charitas patriæ. Loquitur de Te-
stamento Epicuri, quo Metrodori liberos commenda-
rat.

rat. Alibi; Et is, qui mortii addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset. Hirtius de bell. Afr. Ipse omnibus rebus diligentissime constitutus, liberis suis L. Cesarri commendatis, ferrum in cubiculum tulit, atq; ita se trahecit.

XVII.

CRUCIFIXIO.

Apud pictorum & statuariorum vulgum vide-
mus Dominum & latrones in crucem actos ita expre-
sos, quasi funibus tantum alligati fuerint. Non fa-
cile abnuam, olim etiam funibus adligatos cruciarios.
Apud Lucanum certe (ubi de maga Thessala, crucia-
riorum reliquiis ad artes suas utente, sermo est.) de
vinculorum adligatione verba sunt aperta. Ex Arte-
midoro clarior res est. Quod fortassis ansam præbuit lib. II. Onei.
Hilario concursum clavifictionis & alligationis statu- rocr. c. 58.
endi. At clavifictionem ut plurimum in cruciariis l. X. de
obtinuisse, manifesto ostendunt multa veterum loca.
Seneca, (a) Cum resigere se crucibus conentur, in quas unus- Trin. (a) de Vit.
quisq; vestrum clavos ipse suos adegit. Horatius; (b) beat. c. XIX.
Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus (b) lib. I.
Semelos pisces, tepidumque ligurierit jus Sat. 3.
In cruce suffigat.

Non dicit, religet, aut revinciat, sed suffigat, Plinius;
(c) Nam in quartanis fragmentum clavi à cruce, involutum (c) XXVIII,
lana, collo subnectunt. Apulejus; Hic nares & digiti: illuc c. 4.
carnosi clavi pendentium: conferatur Lipsius (d) Ipsum (d) l. I. Elec.
nomen, quo Græci utuntur, ῥεγονλαγη, & Latini, cruci- c. 18.
figere idem docet. Et quomodo mortui essent, nisi
forte longa fame, si funibus tantum revincti pepen-
dissent, cruciarii? At nunc adactis per manus pedesve
clavis, & venis nervisq; abruptis, desluente ingenti
fanguinis

(24)

sanguinis copia, incredibili cruciatu, eos intra horas aliquot mori necesse erat. Quod si serius fieret, effringebantur eis crura ad accelerandam mortem.

XVIII.

CRUCIS POENA.

lib. IV. de
ver. sap.

SAT. II.

lib. I. de
clem. c. 26.
V. inver-
rem.

Non inscite Lactantius: Dicat fortasse aliquis; Cur si Deus fuit, (Christus) & mori voluit, non saltem honesto aliquo mortis genere affectus fuit? cur potissimum cruce? quod etiam homine libero, quamvis nocente videatur indignum. Primum, quod is, qui humilis adveneral, ut humiliibus & infirmis opem ferret, & omnibus spem salutis ostenderet, eo genere afficiendus fuit, quo humiles & infirmi solent, ne quis esset omnino, qui cum non posset imitari. Nimirum crux servilis erat poena. Juvenalis.

Pone crucem servo. Meruit quo criminе servus
Supplicium? quis testis adest?

Seneca; Crudelitatem privatorum serviles quoq; manus sub certo crucis periculo ultæ sunt. Cicero; Ut quam servis damnatis crucem fixeras, nunc in damnatis civibus Romanis reservares. De Macrino, viro superbo & sanguinario Julius Capitoninus; Nam εἰς in crucem milites tulit, εἰς servilibus suppliciis semper affectit. Quam bene hoc in eum, qui εὐαγγελίων μορφὴν δελτε λαβὼν, ἐπ οὐρανοῦ αὐθόπων γενόμενος. Phil. II, 7.

XIX.

CRURIFRAGIUM.

I. III. c. 44.

Latronibus cum Domino suspensis crura suffracta esse ad festinandam mortem Johannes refert. Crurifragium olim servorum & ancillarum poena fuit. De Nerone Svetonius; Fertur in sacrificando quandam captus facie ministri acerram præferentis, ne quis sit abstinere, quin pene

(25)

pane vix dum re divina peracta, ibidem statim seductum
constupraret, simulq; fratrem ejus tibicinem: atq; utrig; mox,
quod mutuo flagitium reprobrabant, crura fregisse. Fuit
& publicum maleficorum hominum supplicium, ut
delatorum sub Commodo. Eusebius; ὁ δεῖλας οὐδὲ
ναιρὸν τὴν δίκην εἰσελθὼν, αὐτικα κατίγωντα τὰ σκέλη. Ex Agar-
thia simile quid refert Casaubonus.

I.V.

Si queras; Cur Salvatori non sint effracta crura?
respondet Lactantius, ne Iesum ac diminutum corpus ad
resurgentem inbabile redderetur. At non est hęc suffi-
ciens ratio. Deus enim, qui potuit creare corpus,
mutilum supplere valebat. Veram rationem reddit
Johannes c. XX. quia nempe prædictum erat ossa ejus
integra mansura, & præfiguratum in agno Paschali.

XX.

UNCTURA MORTUORUM.

Ungi solita corpora defunctorum post lotionem
ex iam antiquissimis temporibus ex Miseni apud Vir-
gilium funere aperte constat, de quo Poëta;

Corpusq; lavant frigentis & ungunt.

lib. VI. Aen.

Ovidius;

Osculaq; applicuit posito supra mera feretro

lib. IV. Fast.

Atq; ait: invito frater ademte vale.

Arsurosq; artus unxit.

Neq; tantum cadavera pretiosis quibusdam unguen-
tis deliniebantur, sed & in rogis multa simul aromata
cum cadaveriis cremabantur. In rogo Sylla tanta
aromatū multitudo legitur consumta, ut imago
eius his unguentis effigiem quandam contraxerit.

Ægyptiis ungendi ritum receptissimum fuisse, aucto-
res sunt Herodotus & Diodorus Siculus. Ab illis ad lib. II.
Judæos derivatus, uti ex Historia Josephi & Christi
constat.

D

lib. II., c. s.

de Idolol.

constat. Ab his ad Christianos demum pervenit. Tertullianus; Etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ usui sunt. Hieronymus in vita Paulinae ad Pammacium. Pammacius noster sanctam farillam offaq; veneranda eleemosynæ balsamis rigat; his pigmentis atq; odoribus foveat cineres quiescentes. Et Corippus de funere Justini agens;

*Ihora Sabæa cremant, flagrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo,
Centum alia species, unguentaque miranteruntur
Tempus in aeternum sacram servantia corpus.*

XXI.

HORTUS FERALIS.

Salvatoris demortui corpus Josephi, quod erat in horto, monumeno immissum, refert Johannes c. XIX, 41. Habuisse Judæos loca extra urbes, in quibus funera sua sepelirent, certa res est & testatissima. Matt. VIII, 28, 33. Luc. VII, 12. Joh. XI, 31. Romanis ab ipsis Urbis primordiis idem religiose servatum, testis est Historia. Numa Pompilius in Janiculo sepultus est, ut ex Cassio Hemina prisco annalium scriptore refert Plinius.

(a) I. XIII, c. 13.
(b) lib. IV. de Leg.
(c) lib. XXX. ad edit.

(a) Servius Tullius extra urbem sepultus est, teste Dionysio (b) Nec ex usu tantum, sed ex lege etiam hunc morem sanctum esse voluerunt. Ex XII Tabulis capitulum hocce invenias apud Ciceronem; (c) *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neque urito.* A quo more cum interdum recederetur, Imperatores illum aliquot viibus redintegrarunt. Nam D. Adrianus rescripto pœnam statuit XL aureorum, tam in eos, qui in civitate sepeliunt, quam ipsos magistratus, qui id passi essent; eamque pecuniam fisco inferri, & locum publicari, & corpus transferri jussit, auctore Ulpiano. (d) De Antonino

nino

nino Pio id ipsum tradit Julius Capitoinus; *Intra urbes*
sepeliri mortuos vetuit. Exstat & de re eadem Lex Dio-
 cletiani; (e) *Mortuorum reliquias, ne sanctum municipio-* (e) C. de Re-
rum jus ledatur, intra civitatem condijam pridem vetitum est. lig. & sumt;
 Apud Græcos eundem viguisse morem, testis itidem
 Historia. De Atheniensibus Servius Sulpitius in literis
 ad Ciceronem; (f) *Ab Atheniensibus locum sepulturæ ut da-* (f) lib. IV. E-
rent intra urbem impetrare non potui, quod Religione se impe- pist. fam. 12.
diri dicerent. De Sicyoniis Plutarchus; (g) *Vetus lex bu-* (g) in Arao.
mari quenquam intra suos muros vetabat. Vide Kirchman-
 num, hæc prolixè de aliis etiam gentibus probantem.
 (h) *Nata hinc fortassis solemnis illa descriptionum se-* (h) lib. II. de
pulcrum formula, ad Viatores directa, qualis apud funerib.
 Horatium;

*Licebit, injecto ter pulvere, curras
 Et Virgilium, huc respicientem;*

*Aut tu mihi terram
 injice*

Quintilianus; (i) *Ignoris cadaveribus humum congerimus, & inseptulum* (i) Declam.
corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulcumq; vene- v.
reatur aggestu.

Rationes, cur id omnibus fere gentibus quasi ex condicō convenerit,
 ut mortuos extra urbes efferrent, sollicite congerit Johannes Hierony-
 mus Soprano, Jesuita (k) Præcipuæ erant hæc. Prima erat superstitionem
 commoditas. Vel enim mortui comburendi erant, vel simpliciter
 humandi. Si comburendi, periculum erat, ne diffusus ignis vicina
 alimenta corriperet, & ædificia invaderet. Certe in morte Clodii à
 Milone occisi eodem igne quo ipse per tumultum à factiosis crematus
 est, Curia quoque flagravit, & Portia Basilica atmbusta est, teste Alco-
 nio. Præterea, si quotidie feralis hic rogos in urbe incenderetur, ut
 opus erat in frequenti populo, nonne omnia ustrinæ nidore & com-
 bustoru corporu tetro halitu completa fuissent? At vero simplex in-
 humatio etiam extra Urbem, ne cadaverum putrescentium contagio (l) l. XIV.
 aer ipse inficeretur. Isidorus; (l) *Prius in domo sua quisque sepeliebatur,* Orig. c. ii.
postea

postea vetitum est legibus, ne fætore ipso corpora viventium contacta inficerentur. Secunda causa fuit evitatio horroris, quo viventes omnes ad aspectum mortui tacito quodam sensu corripiuntur. Hinc antiquis sepulcrorum occursus aut aspectus inauspicatus est habitus, ut Plutarchus tradit (m) Tertia causa, restrictiones tamen, erat, ne sacris operantes polluerentur. Hanc causam tacite insinuat Paulus I Cor. (n) Corpus in civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitas: ut adverit Adrianus Turnebus. (o) nisi forte existimat, ipsa sepulcra, quæ inter sacra habentur, pollui, si tota civitas iis oppleatur.

(m) in Vita
Pompeij.
(n) lib. II.
recept. sent.
Tit. 21.
(o) in II. de
Leg. Cicer.

(p) lib. II.
de Leg.

(q) I. V. de
Ling. Lat.

(r) cap. LIX.

(s) C. V.

(t) I. 6.

Quod de communi gentium more dictum est, restrictionem admittit. Numirum & Judæi ex singulari honoris prærogativa Viros Principes in Civitate sepeliebant, ut Davidis, Salomonis, aliorumque exemplis constat; & Romani Viris rebus gestis meritissimis in Rempb. clatioribus Civitatem non denegabant. Cicero interroganti Attico, (p) si XII Tabulæ sepulturam in Urbe verabant, qui deinde in Urbe sepulti sunt rot clari Viri? responderet, Credo, Tite, fuisse aut eos, qui ibi hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est, aut eos, qui hoc ut Fabritii virtutis causa soluti legibus consecuti sunt. Ad quæ verba Turnebus; Virorum triumphalium, Imperatorum, summorum dyscum, Vestalium Cineres in foro condi licuit.

Sed ad hortum feralem. Erigebantur sepulcra ut plurimum juxta vias publicas, quo prætereuntes admonerent, & se fuisse, & illos esse mortales, ut vult Varro. (q) Judæos tamen præter vias publicas etiam hortos sepulturæ mortuorum attribuisse, constat exemplis Manassis II Reg. XXI, 18. Amonis ibid. & Christi Domini nostri Joh. XIX, 41. Idem quoque usurpatum Romanis, hinc inde docemur. Cavigula, teste Svetonio, (r) clam in hortos Lamianos asportatus, & tumulario rogo semiambustus levè cessite obrutus est. De Antonino Pio Julius Capitolinus; (s) Adriano apud Bajas mortuo, reliquias ejus Regem per vexit sancte ac reverenter, atq. in hortu Domitiae colligavit. Requirebat id & defunctorum memoria, & vivorum utilitas. De quibus prolixius

Sopranus (t)



(ii.)
 prætore citatus, ex inferiore lo-
 sisset, Papirius Cursor dictatori-
 sto Suetonius; Dixit jus non dilige-
 senitate: siquidem manifesti parricidi-
 tur, quod non nisi confessi afficiuntur
 interrogasse; CERTE PATREN-
 CIDISTI? Irenarchis mandatu-
 tiones literis inclusas, atq; obsig-
 magistratus mitterent, docet E-
 autem intererat in peragendis in-
 animo esset is qui interrogabat.
 supra in Augusto, qui sua inter-
 viam salutis aperuit. Contra,
 volebant, omnibus modis illu-
 terrogationibus inducere cona-

IX.

CHLAMYS CO

Milites ad ludibrium Christi
 coccinea, ut est apud Matthæum, c
 rea, ut referunt Marcus & Joha-
 rum in primis erat & maxime Ma-
 rilia recensetur ab Ulpiano. Chla-
 mydium Romanorum regum usus est, qu
 rorum excepisset, rationemq; e-
 pisset, autore Suidâ. Porro Chla-
 myda habitabilis eadem fuisse tra-
 χλαμυδος σχημα της οικουμενης.

Coccum granum est ex fructu
 quod est illo liquore coloratum
 bant præ aliis Imperatores ac

B 2

unal acces-
 De Augu-
 mma, sed &
 culeo insue-
 t, ita fertur
 NON OC-
 interrog-
 gitionem
 Multum
 nibus, quo
 im illustre
 tacite reo
 um reum,
 m suis in-

A.

t Chlamyde
 sive purpu-
 rys Græco-
 Inter pue-
 na primus
 nem Isau-
 tus perce-
 gies & ter-
 o; ἐπι δῆν l. II.

Coccineum,
 i incede-
 . Plinius;
 Coccum




Image Engineering San Reference Chart T263 Serial No.